

villis inhabitare soleant, utique permitti potest Coadjutoribus, ut ipsi quoque impediti alios Canonicos substituere queant diebus, quibus substituti non sunt servitio Ecclesiae adstricti et econtra, ex quo divini cultus augmentum potius quam detrimentum resultare testatur, asserens alterius ab ipso in constitutionibus synodalibus satis consultum remansisse, ne Canonici saepe saepius praedicta facultate abutantur, ejusdem usu restringendo ad duos dumtaxat dies per hebdomadas, dummodo tamen non obstet decretum ab hac Sacra Congregatione editum circa Coadjutorem Archidiaconi hujusmet Cathedralis sub die 26. Febr. 1650, prout sequitur videlicet: „Capitulum Cathedralis Casertanae exponens in dicta Ecclesia extare 18 Canonicos, qui legitime impediti de consuetudine invicem se substituunt diebus, quibus substituti non sunt servitio adstricti; cumque Archidiaconus ejusdem obtinuerit a s. Sede Coadjutorem, qui praetendit posse uti eodem privilegio substituendi, ideo supplicat pro declaratione; sacra etc. respondit: dictum Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi“ lib. 19. decr. fol. 28. terg. His itaque attentis, procuratore dd. Coadjutorum dumtaxat informante, EE. VV. respondere non dedignabuntur.

*An oratorum instantiae sit annuendum in casu?*

Sacra Congregatio die 27. Junii 1704 respondit: „Negative et amplius“, ut in lib. 54. decr. pag. 265. terg.

#### Montis alti.

In Oppido Castineanni extat Collegiata, in qua ex veteri instituto ter in hebdomada servitium Chori praestabatur. Sed anno 1772, aucto Capitularium numero introductum fuit servitium quotidianum cum alternativa

ex novis constitutionibus, quas defunctus Episcopus Marcucci scripsit, et Capitulum acceptas tulit. Ante latas novas constitutiones innoleverat consuetudo, ut Capitulares possent sibi invicem substituere in servitio chori obeundo. Ubi Praesul Marcucci novas proposuit constitutiones, eas quidem Canonici acceptarunt simulque se subjecerunt gravioris chori servitio reservato sibi: la facolta di costituire an altro de gremio Capituli nelle mancanze: Quaestio nunc oritur inter Capitulares, num haec consuetudo, indiscriminatim servanda sit seu potius certi excipiendi sint casus inferius recensendi. Datae hinc preces fuere a Capitulo huic Sacrae Congregationi, ut dignaretur hanc controversiam dirimere. Episcopus in sua informatione exposita confirmans refert, quod: consuetudo hujusmodi et ante et post reformatas constitutiones suo semper pleno robore stetit absque temporis aut loci aut circumstantiarum discrimine. Hinc major Capituli pars exoptat istam substituendi consuetudinem servari. Existimat enim nihil excipi, ubi nihil in statutis distinguitur et consuetudinem optimam legis interpretem. Et hanc rationi esse consentaneam, cum quotidiano servitio chori sponte se subjecerint Canonici absque lucri augmento sed ut morem gererent consilio Episcopi. Bini autem Capitulares cupiunt moderari ac restringi; ajunt enim aliquos irrepsisse abusum. Cupiunt primum declarari eos substituendos esse, qui eadem die choralis servitio addicti sunt. Secundo eos substituere non posse, qui a terra ubi est collegiata vel ab ejus suburbiis absunt. Tertio hujusmodi substitutiones non debere esse nimium frequentes. Quarto Coadjutores sive Canonici sint, sive Mansionarii privilegio alium substituendi uti non posse; Tridentinum sane in sess. 24. cap. 22. de Reform. prae-

scribit, ut omnes divina per se et non per substitutum compellantur obire officia. Hinc nonnulli putant non licere alium in choro substituere; nihilominus quod hanc substitutionem vel constitutiones Ecclesiae permittant vel consuetudo ferat. *Vannespen.* in dissert. de canon. part. 5. tit. 6. §. 5. Verum cum haec sententia nimiam redoleat severitatem, benignior opinio excepta est, ut possent Capitulares se invicem substituere, ut tradit *Benedictus XIV.* Instit. 107. num. 17. Et Sacra Congregatio probavit quidem constitutiones et consuetudines, quae hanc substitutionem permittunt certis tantummodo casibus exceptis juxta resolutiones, quae EE. PP. subjicio.

In Eugubina 15. Decembris 1605 Sacra Congregatio declaravit: non esse sublata Capitularibus facultatem sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio addicti non sint; lib. 10. decr. pag. 142. In Fulginaten. 31. Maji 1711 disputato dubio: an Canonici et Capitulares Cathedralis Fulginatensis absentes a Civitate ejusque suburbiis possint se invicem substituere in servitio Chori?

Responsum fuit: Negative.

In Spoletana 28. Februarii 1795 cum quaesitum esset in II. dubio: an et quomodo Canonicus Coadjutor alium substituere possit in chorale servitium? respondit: Negative.

In Alatrina 24. Martii 1612 monuit, ne substitutiones hujusmodi sint nimium frequentes, quod Episcopi erit arbitrio. lib. 11. decr. pag. 112.

Ex quibus videtur, quod merito nonnulli Capitulares has restrictiones postulent. Nam ex rigore juris haec substituendi facultas non esset admitenda adeoque si ex quadam aequitate eam indulsit Sacra Congregatio, profecto concedi deberet cum adductis restrictionibus. Verum tamen major

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

Capituli pars has restrictiones recusat, tum quia ex consuetudine usi sunt libera facultate, tum quia ipsi sponte se subjecerint quotidiano servitio chori, quod olim ter in hebdomada praestabant. Hinc gravius servitium nullo addito emolumento praestandum compensari oportere contendunt ex libera sese invicem substituendi facultate, quam sibi in novis acceptis constitutionibus expresse reservarunt: colla facolta di restituire un altro de gremio nelle mancanze.

Dubium hinc emergit:

*An et quomodo Capitulares Collegiatae s. Mariae Lauretanae in Oppido Castineani se invicem substituere possint in chori servitio in casu?*

S. C. resp.:

Affirmative exclusis Coadjutoribus, dummodo Substitutus non sit eodem die servitio chori addictus, et substituens non absit a Dioecesi et substitutiones non sint nimium frequentes.

Die 21. Maji et 25. Junii 1803.

#### Aquilana.

*Ad dub. I.:* An liceat Gregorio Antonelli Capellano s. Mariae Lauretanae erectae in Collegiata Ecclesia ss. Quintini et Petri de Saxa Civitatis Aquilae choro deservire per Substitutum. Et quatenus negative.

II.: An stante morbo, quo laborat, si eidem indulgenda facultas abessendi a choro horis matutinis, durante infirmitate?

S. C. resp.: Negative ad utrumque et ad D. Secretarium juxta mentem et moneatur Procurator.

Die 20. Martii 1756.

2) Num Canon. praebendati Canonicos honorarios substituere possint?

#### Montis Politiani.

Ab immemorabili tempore extant in Cathedrali *Montis Politiani* praeter

Canonicos Praebendatos etiam Canonici Honorarii, de quorum origine et fundatione non satis constat. Nam in censo tabulario Ecclesiae plurima vetusta documenta interierunt. Fertur tamen hujusmodi Canonicos honorarios institutos fuisse ad augendum servitium chori, cum praebendatorum Canonico- rum exiguus esset numerus. Suspensi tamen fuere Honorarii ab ultimo Episcopo, sed instante Capitulo ab hodierno reintegrati ad augendum SS. functionum decorem, hac tamen lege, quam a vobis confirmatam cupit, ut in Sacris constituti esse debeant. Canonici honorarii habent Stallum in choro et iisdem utuntur vestibus ac caeteri Praebendati. Carent tamen Canonicali praebenda et quotidianis distributionibus et voce in Capitulo; choro intersunt diebus festivis et in funeribus cerae distributione participant. Controversia orta est in Capitulo, num Canonici Praebendati possint sibi substituere in servitio chori Canonicos honorarios sive in Sacris constitutos sive simplices tonsuratos. Quam controversiam huic Sacrae Congregationi dirimendam detulit ejusdem Capituli Canonicus Thomas Pieri, cujus preces Episcopo remissae fuerunt, qui Sententiam suam dicit: *Quanto all' implorata decisione se li Canonici Onorarii possano sostituirsi nel servizio chorale per li Canonici Praebendati, restando cosi questi liberi dalle puntature trovò esser stato diversa la condotta dei miei Antecessori Monsignor Antonio Cervini fino dalli 24. Maggio 1699 approvò una tale sostituzione, e fù approvata anche in seguito, ma da Monsignor Frantesi mio immediato Antecessore fù proibita per l'abuso, che ne derivava. Come diversa è stata la condotta dei miei Antecessori in questo proposito, cosi diversa è l'opinione de presenti Canonici, ma la diversità dell' opinione*

*non produce scissura. Io crederei che esclusi li giorni festivi si potesse permettere la sostituzione, ma non mai per lungo tratto di tempo, e sempre colla licenza del Vescovo.*

Quamquam Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Reform. jubeat, ut Canonici omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia: attamen ex aequitate introductum est, ut qui sunt de Capitulo possint se ad invicem substituere, ut declaravit Sacra Congregatio in Eugubina 15. Decembris 1605 lib. 10. decr. pag. 142. Quare eo redire videtur quaestio, num Canonici honorarii sint proprie de Capitulo ita ut ab aliis praebendatis substitui possint. Si: non potest esse Canonicus sine praebenda: secundum Doctrinam Fagnani in cap.: Cum Ferrariensi num. 17. de Constit. videtur, quod proprie non sint Canonici et habeant nomen re vacuum, ut tradit Abb. in cap. 1. de Praeben. Cecoper. Lucubrat. Canon. lib. 1. tit. 14. num. 7.

Ponderandum tamen est, quod ex consuetudine licebat in Cathedrali Montis Politiani Canonicos honorarios substituere. Id quod vetitum fuit ad praecidendos abusos. Videant EE. PP. num servanda sit haec consuetudo, cui plurimum est deferendum in hac materia Monet. de distribut. quotidian. part. 2. quaest. 1. num. 10. Formosin. ad cap. 9. de Constit. quaest. 1. n. 40. Abusus vero tolli possunt eo modo, quem proponit Episcopus, ne scilicet haec substitutio fiat ad longum tempus et sine licentia Episcopi.

Dubium est.

An et quomodo Canonici honorarii in Cathedrali Montis Politiani substitui possint in servitio chori ab aliis Canonicis praebendatis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 24. Februarii 1804.

#### Montis Politiani.

Dissentientibus inter se Canonicis Montis Politiani, num in servitio chori obeundo substituere possent Canonicos honorarios, delata est haec controversia ad S. hanc Congregat. instante Canonico Thoma Pieri et die 4. Febr. 1804 disputatum fuit dubium: An et quomodo Canonici honorarii Montis Politiani substitui possint in servitio chori ab aliis Canonicis praebendatis; rescriptumque prodiit: Negative.

Nunc Canonici ipsi Cathedralis supplices adsunt, ut, quoniam tum ex capitularibus et synodalibus Constitutionibus sibi licet servitium per substitutos praestare quoniamque huic substitutioni obstant resolutiones alias editae ab hac Sacra Congregatione; haec facultas substituendi probetur. Rogatus Episcopus de sua sententia respondit: *Eorum chorale servitium est alternatim per hebdomadas, omnes tamen omnibus diebus festivis et per quadragesimam choro tenentur. Ita statuerunt citatae in precibus Constitutiones, quarum haec est ad propositum particula. Ordinamus, ut per unam hebdomadam serviant in divinis Officiis Praepositi cum media parte Canonicorum et Capellanorum et liceat unicuique servire per substitutum ejusdem ordinis. Substituunt etiam Canonicos honorarios quando adsunt. Diebus vero festivis et per quadragesimam non substituunt. Hac facultate vero non abutuntur nec nimis frequenter substituendo nec substituendo eum, qui eadem die choro sit addictus. Sed utuntur, cum substituentes absint ab Urbe et Suburbis et hoc ex immemorabili consuetudine, nec reprobata ab ultima Synodo Vantini, cujus de hac re nullum est speciale decretum, sed tantum generalis Constitutionum approbatio. Nec inde praejudicium, sed*

*potius oritur commodum divino servitio. Vi enim hujus substitutionis etiam in casu absentiae ab Urbe et a Suburbis semper potest remanere in choro idem psallentium numerus, qui diebus ferialibus non excedit septem ex Canonicis et qui alioquin ablata eo modo substituendi facultate certe deficeret, cum tanta sit tenuitas punctaturarum, ut nequeat earum emissio vel avarissimum a discessu retinere. Quapropter et etiam attempta laudabili diligentia, qua nunc omnes hujus Cathedralis choro addicti muneri suo satisfaciunt, nihil in hac re mihi innovandum esse videtur, immo humiliter et enixe precor, ut praefata immemorabilis consuetudo suffragio EE. VV. confirmetur.*

Tridentinum Sess. 24. cap. 12 de reform. praescribit, ut Canonici omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia. Nihilominus ex hoc decreto sublata non fuisse facultatem substituendi alium in servitio chori declaravit S. Congregatio in Eugubina 15. Decembris 1605 lib. 10. decr. pag. 142. Haec tamen facultas certis fuit circumscripta legibus. Scilicet dummodo Canonici ea facultate non abutantur in Aquilana 12. Decembris 1643 et 2. Decembris 1644 lib. 14. decr. pag. 265 et pag. 390 dummodo non absint ab Urbe et a Suburbis in Alatrina 24. Martii 1612 lib. 11. decr. pag. 11 et tandem dummodo Canonici honorarii non substituantur in servitio a Canonicis titularibus in Montis Politiani servitii chori 4. Februarii 1804.

Canonici quidem Montis Politiani habent ex Constitutionibus synodalibus facultatem substituendi, sed data intelligitur secundum juris dispositionem. Duo tamen sunt, in quibus peccant Canonici, dum hac utuntur facultate. Primum cum substituant Canonicos honorarios. Deinde cum substituant

et absint de Urbe et Suburbis. Nam substitui non posse Canonicos honorarios declaratum fuit in terminis ipsius Capituli Montis Politiani in allegata *Montis Politiani servitii chori* 4. Febr. 1804. Quod vero absint ab Urbe vel Suburbis, cum in choro alium substituunt, aperte repugnat citatis S. Congregationis resolutionibus. Nihilominus Episcopus eosdem excusat ex eo, quod eis favet immemorabilis consuetudo, quae potius tendit in augmentum servitii chori. Nam cum tenues sint distributiones, nemo ex Canonicis, si abesse vult, deterretur ab amissione earumdem distributionum et chori servitium destitutum esse poterit. Ubi vero servetur consuetudo substituendi Canonicos honorarios vel etiam cum Canonicis absunt ab Urbe et Suburbis, numquam servitium chori deficiet.

Observandum tamen propono, quod ipse Episcopus, dum actum fuit, num Canonicus honorarii substitui possent, haec habuit in Informatione: *Quanto all'implorata decisione, se li Canonici onorarii possano sostituirsi nel servizio chorale per li Canonici prebendati, restando cosi questi liberi dalle puntature trovò esser stata diversa la condotta dei miei Antecessori Monsig. Antonio Cervini fin dai 24. Maggio 1699 approvò una tale sostituzione, e fù approvata anche in seguito, ma da Monsig. Frantesi mio immediato Antecessore fù proibita per l'abuso, che ne derivava; quin immo ab eodem Episcopo Frantesi suspensi fuere Canonici Honorarii, qui ab hodierno, instante Capitulo, reintegrati sunt ad augendum ss. functionum decorem. Ex his igitur patet, quod non bene constat de consuetudine saltem quoad facultatem substituendi Canonicos honorarios. Videant rursus EE. PP. num haec consuetudo cui expresse adversatur S. Congrega-*

tionis resolutio die 4. Februarii 1804 sit in casu toleranda arb. Episcopi, ita ut abusus arceantur et aliquando suppleri queat defectus Canonicorum Titularium ex legitima causa absentium.

Dubium proponitur:

*An et quomodo Canonici Cathedralis Montis Politiani alios substituere possint in servitio chori in casu?*

S. C. resp.: Affirmative dummodo non abutantur, dummodo substituentes non absint ab Urbe et Suburbis et dummodo non substituunt honorarios.

Die 19. Julii 1806.

3) Quando servire debet?

Vd.: *Canonici* (per se ipsos etc.).

Sacra Congregatio in terminis Canonici habentis Indultum abessendi ex causa defensionis iurium sui Beneficii *deberi Massam totam, emolumenta quarumcunque Missarum et quascunque oblationes, dummodo omnia onera per Substitutum adimpleta fuerint; respondit in Pampilonen. Distributum 11. Septembris 1728 lib. 17 decr. pag. 453.*

(Ex resol. diei 11. Jan. 1777. Novarien.)

4) Coadjutoris Canonici.

Urbinaten.

Coriolanus Staccoli, Canonicus Coadjutor Metropolitanae Ecclesiae Urbini, EE. Vestris supplicat pro facultate substituendi aliquo absentiae die alterum Canonicum in choralis servitio; et Urbinatensis Archiepiscopus refert, quod huiusmodi facultas nullis omnino capitularibus Constitutionibus interdicatur, neque hac in re consuetudo ulla adversatur. Afferit immo exempla Cathedralium Civitatis Castelli et Fabriani, in quibus similis viget facultas. De consensu testatur Urbina-

tensium Capitularium et qualitate servitii, in quo vult Orator substituere; quod consistat nempe in choralis psalmodia et divinorum Officiorum celebratione, cui Canonici bifariam divisi alternis hebdomadis interesse tenentur, exceptis Adventus et Quadragesimae temporibus, quibus singuli quotidianum pensum canonicarum horarum persolvere obstringuntur. Atque aequissimam sibi videri ait gratiam, si concedatur juxta modum, in haec ab ipso propositum verba: Quod si EE. Vestrae Coadjutorem, de quo in precibus, veris Canonicis exaequare quo ad facultatem substituendi voluerint, prout vota Canonicorum et summae observantiae meae studium efflagitant, per quindecim saltem dies continuos, duabus ex intervallo quotannis vicibus uti posse concedant; quemadmodum ab ipso Vestro supremo concessu Philippo Belenzoni ejusdem Ecclesiae Canonico Theologo adhuc Coadjutore existisse concessum recenti exemplo probatur. Agitur de re, quae non tantum Coadjutores, quam Canonicos interest; nam si omnes essent Coadjutores, actum de substitutione. Hoc in Canonicorum Collegio plures extant aetate longaevi, alii jubilationis vel absentiae indulto muniti, reliqui Coadjutoribus donati, pauci fiunt, qui substitutionis beneficium impendere vel reddere valeant, Coadjutoribus sublatis.

Competunt sane Coadjutori praerogativae, praeeminentiae, honores et privilegia Coadjuti, secundum *Gonzal.* ad regul. Cancell. 8. gloss. 5. §. 9. num. 99., *Mallect.* de Hierarch. ecclesiast. lib. 3. part. 1. post. tit. 34., et *Rot.* coram Crescent. jun. decis. 143. num. 5., eique propterea competere etiam posse videretur facultas substituendi alium in servitio choralis, quam ad breve tempus habet Canonicus coadjutus ex sententia *Ursayae*

in discept. eccles. 17. num. 3. tom. 6. part. 2. et Sacrae Congregationis in Eugubina 15. Decembris 1605. lib. 10. decretor. pag. 142.; cujus conditiones expendit *Benedict.* XIV. instit. eccles. 107. §. 3. sub num. 17. Maxime, quia per huiusmodi substitutionem augetur potius, quam minuitur cultus divinus, *Ursaya* loc. cit. n. 8. et nedum similis viget substituendi consuetudo in Cathedralibus Civitatis Castelli et Fabriani, sed recens etiam est in ipsa Urbinatensi Cathedrali exemplum Coadjutoris Belenzoni, cui eadem testimonio Archiepiscopi concessa est facultas. Hac porro ex consuetudine et exemplo aequior videri potest oratoris instantia, *Ursaya* discept. 10. num. 8. tom. 8. part. 1. Sive autem concederetur Oratori facultas substituendi aliquo absentiae die in genere, ut ipse postulat, sive per quindecim dies continuos, duabus ex intervallo quotannis vicibus, ut proponit Archiepiscopus, ejus forsitan usui dici non posset frequens contra mentem Sacrae Congregationis in cit. Eugubina.

Contrarium in terminis Coadjutoris suadere videtur posterius Sacrae Congregationis decretum in Casertana 26. Februarii 1650. lib. decretor. 19. fol. 28. a terg.; nam Capitulum Ecclesiae Casertanae (sunt decreti verba) exponens, in dicta Ecclesia extare decem et octo Canonicos, qui legitime impediti, de consuetudine invicem se substituunt diebus, quibus substituti non sunt servitio addicti. Quumque Archidiaconus ejusdem obtinuerit a Sede apostolica Coadjutorem, qui praetendit, uti posse privilegio substituendi, ideo supplicat pro declaratione; et S. C. Concil. respondit: „dictum Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi. Eaque verisimiliter fuit huiusce resolutionis ratio, quia veri Canonici non sunt Coadjutores, ut ad

limitationem Eugubinae notat *Benedictus XIV.* in cit. instii. 107. §. 3. At de Casertana loquens, non omnibus eam Coadjutoribus absolute adversari notat *Ursaya* in dict. discept. 17. num. 11. tom. 6. pari. 2., sed iis tantum, qui substituere volunt Canonicum diversi ordinis, ut in illius casu, in quo vices Archidiaconi suppleri praetendebantur ab uno ex Canonicis et sic a Ministro diversi ordinis.

Dubium est.

*An et quomodo Canonico Coadjutori Staccoli liceat substituere alterum Canonicum ad servitium chori in casu?*

S. C. resp.: Affirmative ex gratia, attentis peculiaribus circumstantiis et juxta votum Archiepiscopi.

Die 21. Junii et 12. Julii 1794.

*In Spoletana 28. Febr. 1795 cum quaesitum esset in II. dubio: An et quomodo Canonicus Coadjutor alium substituere possit in chorale servitium?*

S. C. resp.: Negative.

(Ex resol. diei 21. Maji 1803. *Spoletana.*)

5) Sacerdotis in celebr. Missae.

*Ad dub.: An Capellani, impediti per se ipsos celebrare missam fundatam vel potius Officiales et Governatores domus debeant substituere Sacerdotes missam celebrantes?*

Die 14. Aprilis 1725 ad III. *Neapol.* Cf. *Incompat.*

Vd.: *Stipend. pro miss. benefical. Applic. missae paroch. pro populo. Missa (applicat. a Paroch. etc.)*

### SUBVENITE.

*Ad dub.: An R. Subvenite, in quo duo sunt asterici in Exequiis, dici debeat quoad repetitiones ad normam R. Libera me Domine et aliorum, qui duos habent astericos juxta regulam per decretum diei 6. Septembris 1834*

in Lauretana statutam? Vel potius per exceptionem ad regulam communem prima repetitio post V. Suscipiat, fieri debeat a primo asterisco ad secundum V. uti praescribitur in hoc R. sub titulo in expiratione?

S. C. resp.: Dicendum ut in Rituali titulo de expiratione.

Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. II. Serie 1857 p. 2198.)

### SUDARIUM.

Licentia aspiciendi.

*Facultas cominus aspiciendi sudarium sanctae Veronicae et lanceam, qua latus Domini Nostri Jesu Christi in cruce pendentis adaptum fuit, tributa Sebastiano Josepho Hispaniarum Infanti et ejus uxori.*

Dilectis filiis

Archipresbytero, Capitulo et Canonicis Basilicae Principis Apostolorum de urbe.

Gregorius PP. XVI.

Dilecti filii

Salutem et apostolicam Benedictionem.

§. 1. Ut dilectissimus in Christo filius Noster Sebastianus Infans Hispaniarum ejusque uxor sudarium s. Veronicae, cui impressa est imago vultus Domini Nostri Jesu Christi, vultum sanctum vulgo nuncupatum, nec non lanceam, qua latus ejusdem Domini Nostri Jesu Christi in cruce pendentis apertum fuit, pro eorum devotione cominus aspiciere et venerari valeant, vobis tenore praesentium mandamus, quatenus si et quando a praedictis conjugibus super his fueritis requisiti, sudarium seu vultum sanctum et lanceam hujusmodi, quae in Basilica Principis Apostolorum de urbe asservantur, e tabernaculo seu tabernaculis, ubi nunc reperiuntur collocata, usque ad fores, per quas e basilica praefata ad odeum, in quo tabernaculum seu tabernacula hujus-

modi existunt, datur accessus, ea eisdem conjugibus ostendatis.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non dictae Basilicae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem 14. Julii 1835.

(Bull. r. Contin. t. XX. pag. 74. Ed. Romae.)

### SUFFRAGANEUS.

1) Accessus ad Ecclesiam.

Non teneri Dignitates et Canonicos obviam ire Suffraganeo usque ad ejus cubiculum, sicut proprio Archiepiscopo, sed satis esse, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae et dignior ei aspersorium porrigat eumque usque ad altare vel locum ad celebrandum associent. Num. 354 die 1. Septembris 1607.

Sufficere aliquos ex Canonicis Suffraganeum ad portam Ecclesiae recipere, quorum dignior Aspersorium porrigat. N. 701 ad 3. die 7. Augusti 1627.

Possunt de licentia Cardinalis Decani Episcopi Ostiensis et Veliterni deferre cappam et in hoc casu tenentur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiae et dignior porrigat ei Aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergat et pariter eum associent in reditu usque ad eundem locum. Num. 3491 ad 1. die 6. Septembris 1698.

2) Administrator.

Vd.: *Concionator (bened.); Episcopus Administr.*

3) Archiepiscopum solemn. excipit.

Suffraganeus debet Archiepiscopo solemniter incedenti in suam urbem processionaliter obviam ire. N. 101 die 10. Januarii 1597.

4) Celebrans.

Vd.: *Episcop. Administr. (Ministri etc.) Diaconi assist. Episcopi Administr.; Sedes Episcopi Suffrag.*

(Assistentes et Ministri.)

Teneri Canonicos et Dignitates Episcopo Suffraganeo assistere, quoties Ecclesiam reconciliat vel similes functiones episcopales nomine proprii Archiepiscopi exercet. Num. 235 die 21. Februarii 1604.

Episcopum Suffrag. in Eccles. *Metropolitana* solemniter celebrantem (sine mandato Archiepiscopi) contentum esse debere Ministris solitis, id est, Diacono, Subdiacono ac uno Capellano cum Pluviali, qui ei assistat ad librum. N. 310 die 9. Maji 1606; n. 701 ad 2 die 7. Aug. 1627.

Suffraganeum, solemniter celebrantem non debere sedere in sede archiepiscopali, sed in faldistorio in cornu Epistolae locando; nec debere uti baculo pastoralis, nisi quando tenuerit Ordinationes vel alias functiones fecerit, in quibus juxta regulas Pontificalis uti debet et necesse est; nec debere habere assistentiam duorum Canonicorum praeter Diaconum et Subdiaconum, qui erunt cantaturi in missa Evangelium et Epistolam; sed satis esse, si praeter Diaconum et Subdiaconum ei unus ex Dignitatibus vel Canonicis assistat ad librum Pluviali indutus. N. 354 die 1. Septembris 1607; n. 310 die 9. Maji 1606.

Celebrante Suffrag. non omnes Dignitates et Canonicos teneri, *sacra paramenta* accipere, sicut tenentur ce-